

1044  
Diss. 5739. (14.)

2. D. B. V.  
De

17

4<sup>te</sup> Diss.

3739/14

# CARMINIBUS VETERUM GERMANORUM

## DISSERTATIO I.

quam

*Summo annuente Numine*

ex

Decreto Amplissimæ Facultatis Philosophicæ

### PRO LOCO

publice ventilandam  
exponet

### M. JOH. Lauterbach

Schol. Senat. Jenens. ConR.

RESPONDENTE

### CHRISTOPHORO HENRICO Härcker

Crimmitia Misnico.


Ad D. Martii. M. DC. XCVI.

---

J E N A,

Literis WERTHERIANIS.

66



Bayerische  
Staatsbibliothek  
München



f. f.

**S**I, quod habet Lucianus in vita Demosthe-  
 nis, quam oratoris excellentissimi operibus  
 attexit Hieronymus Wolffius, *πολλῆς δὲ  
 τῆς μαρίας ἐπὶ τὰς ποιητικὰς ἰσοθύρας, ποῆτι-  
 κα* *fores aduentibus magno furore opus est:*  
 procul omni dubio in limine statim scriptionis calamus  
 abijcendus esset. Novi enim, meæ vires quid ferre  
 possint, quidve recusent; quæ tantæ profecto non sunt,  
 quantæ illorum dicuntur esse, qui, ut ajunt, caballino  
 fontē sua sibi videntur perpluisse labra. Ne dicam, quod  
 post Homerum Iliada scribere, lectoribusque cramben  
 recoquere putari queam: Clarissimus quippe Georg.  
 Daniel Morhofius non pauca; quæ ad illustrandam Ger-  
 manorum Poesin pertinebant, politissimis scriptis, quæ  
 multa secula vivere digna habentur, erudito orbi suppe-  
 ditavit. (a) Quando tamen ante aliquot annos, cum de  
 Originibus Linguae Germanicæ disserere iussus essem,  
 nonnulla de Carminibus antiquæ Germaniæ pollicebar;  
 mihi que Tacitus, alii que veteres historici, unde funda-  
 menta hujus negotii peti debent, patebant; promissi  
 memor calamum, quem sæpiuscule alii labores ex-

A 2

cusse-

(a) Im Unterricht von der Teuffchen Sprache.

cufferant, in manus tandem sumsi, meditationesque meas in chartam conjeci, eo animo, ut in posterum, si vita contigerit, vitas Germanorum Poetarum, quoad ejus fieri poterit, enarrare pergam. Si quis indecoram me jactantiam arguere voluerit, meamque operam actum agere dixerit; veniam vix denegabit, ubi meos conatus fide data non tantum, verum etiam Mœcenatum auctoritate niti videbit. Summum in cœlis Numen omnia benevertat, hisque pagellis benevolos conciliet lectores!

## §. I.

**D**u est, cum lis agitari cœpit Poetas inter, & scriptores solutæ orationis, utri alteris sint antiquiores. Utrumque genus suam jactitat profapiam, sibique primas deposcit partes; & neutra factio destituitur patronis & auctoribus, qui acriter inter se contendunt. Diversis diversa placet sententia. Lactantius (b) Poetas præponit, quorum memoriam multo antiquiorem esse dicit, quam oratorum, aliorumque scriptorum. Cui non tantum Strabo (c) & Maximus Tyrius (d) præiverunt; sed etiam ex recentioribus Gyraldus (e) aliique nostræ ætatis viri subscribunt. Ipsum Strabonem audiamus, ut ejus testimonium eo majorem fidem mereatur: *Πρῶτον, inquirentem, ὅδ ἡ ποιητικὴ ᾠδῶσκειν παρῆλθεν εἰς τὸ μέσον, καὶ εὐδοκίμασται. εἶτα ἑκάστην μιμνήμενοι λύσαντες τὸ μέτρον. τ' ἄλλα δὲ Φυλαξάνης τὰ ποιητικὰ συνέγραψαν οἱ ὡς Κάδμων καὶ Θεοκυύδης, καὶ Βραταῖον. &c.* *ab initio enim Poeticus apparatus processit, & in pretio fuit. Postea cum imitati soluto metro, cætera vero servantes argumenta poetica tractarunt,*

(b) lib. VII. c. 22. & Conring. in præf. ad Tac. p. 44. (c) lib. I.

(d) Oracione, qua Poeticam laudat. (e) I. Hiffor. Poet.

50

*vint, Cadmus, Pherecydes & Hecataeus.* (f) Ab his quodammodo dissentire viderur Vossius de Arte Poetica; quod homines prius prosa locuti sint, quam metro. Qui medelam huic contentioni putantur invenisse, historiam quidem priorem tempore asseverant, ab initio tamen prosa oratione vix quicquam literis consignatum, sed ligato sermone lectorum oculis expositum fuisse contendunt. Et de Poetica, tanquam de vehiculo, & dicendi rationem & historiam desiluisse fatetur Antonius Sebastianus Minturnus de Poeta.

S. II.

Sed de hac re alii deserant. Certum interea est, Poesin non esse opus unius seculi; sed à multis usque suum splendorem arcessere. Neque ipsi Hebraei à carminibus alieni fuisse scribuntur. Mosè enim, Deborah, Davidem, Asaphum, ex poetarum ordine quis profligabit? Ne dicam de Salomone, quem Rhodiginus (g) ex Josepho carmina ægritudines mitigantia cecinisse confirmare anitur. A quo Suidas non abludit, qui in Ezechia Salomonem librum *iamitov tavris apdes* scripsisse perhibet. (b) Cujus tamen, cæterorumque Abramidarum qualia fuerint metra, definire nequaquam audemus; siquidem in hoc negotio frustra sapissime desudarunt eruditi. Scaliger numerum rhythmicum Carminibus Hebræorum prorsus videtur negare. Alii certum syllabarum, sine certa, quam Poeta vocant, quantitate combinatorum, inque periodum rebus musicis aptam redactarum numerum fuisse arbitrantur. His contrarius est Gomarus in Lyra

(f) Vossius lib. I. de Arte Poetic. Apulejus in Floridis. Plinius lib. VIII. cap. quæ quis in vita invenit. (g) lib. IIX. cap. XII. lect. antiq. (b) vid. Morhof. Polyh. p. 49.

Davidica, qui, ut convinceret adversarios, omnis generis pedes & metra ex hymnis Davidicis collegit. Sed vereor, ne sint homines, qui, hoc modo pedes & versus eruendi concessio, omne genus orationis ad carmina transcribant. Hieronymus, cujus forte sententiam secutus est Gomarus, in Prologo Psalmis illis regis præfixo: *A verbis*, inquit; *Hiob, in quibus ait*: pereat dies, in qua natus sum, & nox, in qua dictum est, conceptus est homo; *usque ad eum locum, ubi ante finem voluminis scriptum est*; idcirco me ipse reprehendo, & ago poenitentiam in favilla & cinere; *hexametri versus sunt, dactylo, spondeoque currentes, & propter lingua idioma crebro recipientes & alios pedes non earundem syllabarum; sed eorundem temporum.* Sed non pauci illud ipsum non possunt non improbare: confessi nihilominus, poeticos in sacro codice extare libros, si non ratione metri, attamen ratione styli. Si poësin laxo sensu dicamus orationem, quæ stylo est pathetico, qualis est poeticus, etsi non numerofo, plurimas etiam propheticas conciones & maxime Threnos ad poetica scripta revocabimus. Sed de his omnibus nostrum suspendimus iudicium, usi verbis Augustini: (i) *Quibus numeris consistant versus Davidici, non scripsi, quia nescio.* (k)

### §. III.

Instituti potius memores ad ignem propius accedimus, omisissisque cæteris, quæ de origine poetices in genere circumferuntur, Germanorum carmina rimamur. Ubi statim ad Cornelii Taciti, scriptoris *πολιμακίης* auctoritatem atque testimonia provocamus, qui quando-

quidem

(i) Epist. XXI. (k) vid. Jos. de Voisin in proœmium Raymundi Martini Pagonis fidei adversus Judæos & Mauros p. m. 129.

quidem res Germanorum imprimis scripto consignavit, in hoc etiam negotio facem nobis præluceat. Etenim in libello de Moribus Germanorum: *celebrant, inquit, carminibus antiquis (quod unum apud illos memoria & annalium genus est) Tuistonem terra editum, & filium Manuum, originem gentis conditoremque: & Annalium II. Cantatur adhuc (Arminius) barbaras apud gentes: Romanis haud perinde celebris, dum vetera extollimus recentium incuriosi.* Quæ verba, quantumvis brevia, suo ambitu multam Germanorum laudem complectuntur, & vel sola merentur, ut Tacitus, qui inter eruditos à quibusdam multis oneratur calumniis, (1) bene nobis audiat. Quam hæc sint clara atque aperta, omnes confitentur, qui boni moris cultum invidia adversus nostram gentem abrepti nobis non denegarunt. Nihilominus tamen his argumentis quas tenebras obducant, multi omni studio conquiritunt; quos inter primas q̄. tenent, qui adducta verba non de metrico sermone Germanorum; sed de soluto intelligunt; quippe cum non modo versus, verum etiam carmen numerum poeticum ubique non involvat.

§. IV.

Neque profecto nos latet, versus apud scriptores sapissime pro lineis, uti vulgo vocant, usurpari. Sic enim A. Gellius (m) de quodam declamatore: *sed ubi de blateratis versusum multis millibus finem aliquando fecit: Et Cornelius Nepos: (n) Uno hoc volumine vitas excellentium virorum complurium concludere constituimus: quorum*

(1) vid. Scioppius de Stylo Historico, Ferrarius in Prolutionibus & Trajans Boccalini Relation. ex Parnass. Cent. I. relat. LXXXIV. (m) lib. IX, c. 35. (n) in Egaminonda.

rum separatim multis millibus versuum complures scrip-  
tores ante nos explicarunt. His addit suum calculum  
Cicero (o): *Glauca, inquit, solebat, homo impurus, sed  
tamen acutus, populum monere, ut cum lex aliqua recita-  
retur, primum versum attenderet: & in Epistolis ad Atti-  
cum: (p) quod de Quinti fratris epistola scribis ad me,  
quoque fuit ~~videtur~~ ~~videtur~~ ~~quid dicam nescio: nam~~  
~~ita deplorat primis versibus mansionem suam.~~ Et Epistol.  
IX. ad eundem Atticum: (q) nunc venio ad transuersum  
illum extrema epistola tua versiculum. Et pro Milone,  
postquam dixisset, videret Pompejus, ne quod respublica  
detrimentum caperet, subiungit: *quo una versiculo satis  
armati semper Consules fuerunt, etiam nullis armis datis.*  
Tandem Quintilianus (r) quoque: *ne latus quidem ultra  
modum esse ceras velim, expertus iuvenem studiosum alio-  
qui, praelongos habuisse sermones, quia illos numero per-  
fuum metiebatur;* quæ pluribus adstruit Ægidius Mena-  
gius. (s) Isaacus etiam Casaubonus  $\omega\upsilon\psi\eta\phi\theta$  comparat,  
ubi ex Justiniani Præfatione in Pandectas, & subscriptio-  
nibus Epistolarum Pauli, multisque Diogenis Laertii, a-  
liorumque scriptorum locis, item ex Hebræorum Criti-  
cis hoc idem ostendit. (t) Ut taceamus Scaligerum,  
qui in omni scriptura singulos orationis tractus versus  
appellatos esse scribit. (u) Carmina etiam non tan-  
tum pro concinna eaque metrica versuum congerie &  
numerorum sententiarum cantatione; sed & pro o-  
ratione legitima tanquam conceptis verbis in aliquam  
solen-*

(o) pro Rabirio. (p) Epist. 16. lib. II. (q) lib. V. (r) lib. X. c. 3.  
(s) in Observat. ad Diog. Laert. legm. 24. lib. IV. (t) in  
Animadvertionibus ad Athenæum Lib. IV, c. X. (u) lib. II.  
Poetic. s. V.



solemnitatem facta, soluta licet oratione, sumi, in aprico est. Unde nonnulli carmina illa, quorum Plinius mentionem facit, (x) contra grandines, contra morborum genera, contraque ambusta quaedam non ligato sermone, sed propro concipiunt.

§. V.

Verum enim verò tantum abest, ut hi nostras Germaniz decora illa Poeseos suffurari queant: ut potius Taciti sententia sermo talo nisi videatur. Dabo, & versum & carmen pro soluta dici: hanc tamen denominationem exinde acquisivisse non sine ratione probabiliter statuimus; quia olim, tam quæ ad sacra, quam quæ ad historiam, moresque faciebant, metricè consignata, fuisse dicuntur. Quæ ut prolioribus probemus, opus non est, quandoquidem ipse Diogenes Laertius (y) in Eudæmo, & Minutius (z) hac non obscure innuere, existimantur. Dein quis est, qui, quotiescunq; audiât, carminum fieri mentionem, (†) metrica verba animo non concipiat; ita ut carmen pro ipsa metrica orationis concinnitate in famosiori, ut philosophi loqui amant, stare queat significatu.

§. VI.

Alii deinde alia moluntur, ut hæc Taciti carmina ex orbe Germanorum ad alios ejiciant, tanquam à Germanis nequaquam oriunda. Inter quos eminet vir ingenii perquam acuti Olaus Rudbekius, cujus labor omnino in eo occupatur, ut testimonia à C. Cornel. Tac. relicta suis, vindicet Sueonibus. (a) Verba ipsa, quando-

B. quidem

(x) lib. XXXIX. c. 2. (y) p. 473. 1990 (z) loc. cit. (†) in verbis idem fere est judicium. (a) Atlantica c. XXIV. S. 4. n. 1.

quidem liber non in omnium versatur manibus; si hoc  
 transtulero, veniam, puto, merebor. *Rusticus Hieronymus*  
*suorum carminibus*, inquit Tacitus cap. II. de moribus Ger-  
 manorum antiquis, *quae pro annalibus fuerunt, celebrant.*  
*Hujus instituti exempla pene suppeditabunt innumera his-*  
*toria Regum Edda, histor. Hervor. histor. Ol. Regis, quae CLX*  
*annorum continent, & alia monumenta antiqua, cujus gene-*  
*ris nihil omnino ad hanc usque diem pro sua causa prada-*  
*ere valuerunt recentes Germani.* Nam quod doctissimus  
*Tambmannus* in sua ad Virgilii *Culicem* praefatione ad-  
 ducit, *Germanorum in his rebus suam aemulationem poe-*  
*tae produxit post secula ut ipse dicit quinquae. post scriptum,*  
*(cujus parvulam ibi attulit, nobis mox infra referendam)*  
 id quidem nemini vel tantillum in lingua Germanica re-  
 venti versato imponere potest. De antiquitate enim hu-  
 jus poematicae facile tyro rectam sententiam ferat. Haec  
 ille satis liberaliter erudito orbi exponit, omnesque Ger-  
 manorum bibliothecas in causam testimoniumque vo-  
 cat, quarum nulla vel unicum monumentum hujus rei  
 admodum necessarium proferre, aut sufficienter proo-  
 bare queat, carmina quorum fama nostris temporibus  
 à Tacito est transmissa, Germanica fuisse; quippe cum  
 ratio scribendi in Germania nimis sero sit inventa.

## §. VII.

Nèque tamen ea propter herbam statim porrigimus,  
 convictosque nos fatemur; quanquam scripta ejusmodi ex  
 scriniis nostris expromere non valeamus. Quis enim eo  
 procedet impudentia, ut Taciti testimonia rejicere fident-  
 que infringere velit, ultra quem tamen & paucos alios in  
 hoc negotio assurgere vix licet? Quae so, quid illustrius illo,  
 quod

quod supra afferebamus, testimonio, in hac controversia esse potest? Cui, ut rem eo firmitus adstruat, alio in loco, ne in hoc uno acquiescamus, attexit: *Uritur in praelis carmine, Sunt illis haec quoque carmina, quarum reliquas quem Bardium vocant, accendunt animos, futuraeque pugnae fortunam ipsa cantu augurantur.* (b) Et haec ipsa consuetudo cum aliis gentibus communis fuisse nostris majoribus, facile affirmatur. De Hispanis enim e Silio Italico notum est, (c) quod etiam praelia non carmina de cantata coeperint:

*Uritur in praelis  
haec carmina*

*ritum jam moris Iberi  
Barbara pulsata fundentem carmina cetra.  
Et Diodorus Siculus: (d) Iustanos scribit ex tunc Romanis  
in bellis ad numerum incedere & carmina canere cum aggrediuntur hostem. Erant enim in exercitu cantores, qui milites ad strenue se gerendum in praelis excitabant, & rerum praeclare a suis ducibus gestarum exempla praeclaturis ob oculos ponebant.* (e) De quibus

Leo in Lactic. *Tas dia, loyan diuuegrtas ton segras wos  
Tis, qvras oi wos qvras isw qvri kai ton d'kav taktiki Pa  
mnia Karatwos enalyv.* *Wilhelmus Malmesburienis de gestis regum Anglorum de Wilhelmo Notho ad praelium anno M LXVI contra Haraldum sese apparantem: (f) Tunc, ait, cantilena Rolandi incensa, ut martium uiri exemplum accenderet, in clamatogue Dei auxilio, praelium confectum bellatamque acriter. Quin & ipsi Graeci ab hac consuetudine non fuerunt alieni. Illi*

B 7

quippe

(b) lib. III. de moribus Germ. (c) lib. X. Panecorum. (d) vid. Lips. ad Corn Tac. de Moribus German. p. m 435. (e) vid. du Fresne Glossarium Graecum in voce *Karatwos*, & Latinum in voce *Cantilena Rolandi*. (f) lib. III.

quippe Tyrtæi carmina quoties cum hoste dimicaturus in prociectu esset exercitus, tanti fecerunt, ut omnes convocarentur in tabernaculum regium; ibique audiendis Tyrtæi carminibus ad sperendam pro patria vitam invitarentur. (g)

### §. VIII.

Sed parum hæc aliena juvabunt Germanos, ubi nostrarum rerum contemptoribus non ostenderitis, non de alia, quam Germanorum gente intelligenda esse, que jactamus ex Tacito, carmina. Quæso, an de alio mortalium genere, quam de Germanis, in suo de Germania commentario loquitur politica prudentie peritissimus Tacitus? Sane omnis sermo est de Germanis, quorum ille ritus, quorum bella, quorum etiam carmina allegat. Arminium Cheruscorum fuisse principem, Cheruscorum autem sobolem Germanos, dudum confitentur omnes, qui, quanta bella inter hunc populum Romanosque gesta sint, non ignorant. Quando igitur illum tantum ducem, cujus ferrum legiones stupuere, à quo interfectum Varum Augustus nimis muliebriter & infra dignitatem Cæsariani luxit, à suis civibus cantatum esse carminibus refert, sane de Germanis intelligi debere singula necesse est. Nec puto fore quempiam, qui negare audeat, lib. II. de Germanis agi, ubi de excessu fatoque Armiinii satis lacrymabili ipsos tanti herois propinquos in jus accersit, oppressoque principi tanquam libertatis defensori vel hostis parentat.

### §. IX.

Et hæc nostra carmina alii Romanorum nequaquam infi-

(g) vid. Egid. Menagius in Diog. Laertium. lib. II. segm. 43. p. m. 96.

**Indicantur.** Lucius enim non inanis ad stipulatur in  
 pugna Pharsalica. *Pharsalia* *Pharsalia* *Pharsalia* *Pharsalia*  
 plurima securi fudistis castris Bardi; *Pharsalia*  
 cum & reliqui succedunt. Si igitur Bardi, ut mox osten-  
 demus, inter sacerdotum Germaniae antistites habentur, haec  
 officia in Germanos convenire sacrodox est. His qui con-  
 tradicere vellet, fides quoque summi prisca illis scripturibus do-  
 negare, nihil quae per se habentur in vetustatis monumen-  
 ta censendas fore. Quam in Historia Romana Livio potior  
 rem habemus? Atque ille: *(b) in conspectu, inquit, fuerit*  
*Augurum equites, postea equorum suspensa gestantes*  
*capite & lancea distantes, quae moris sui terminae.* Er-  
 nit vero sicut Galli vetores gens Germanis cognatione  
 conjuncta plerisque reputantur: ita haec ipsa illorum car-  
 mina nostro negotio non parum forentur locus.

Sed ea sunt temporum fata, ut ex bibliothecis, quas  
 Germania instructissimas habet, monumenta, unde probe-  
 tur nostrae poesis, ut cuius ad oculum pateat, summum  
 nostrae poesis, quorum antiquitatem inquirimus, ratio, pro-  
 ferre nequeamus. Attamen capere per animus non est  
 abiciendus. Quis ignorat calamitatem, elades, incendia,  
 disceptationes, quae nostram gentem olim satis diversarum  
 omnique non tantum castrorum rerum, ipsum omnium  
 carminum gloria privarunt. Multi nobis libri superio-  
 rum seculorum perierunt, quorum fama tantum apud  
 nos perdurat. Atque inter istas turbas tempestatum, ad-  
 versaque fortunae, injuria satorum sibi procul dubio vindi-  
 civit etiam cunctos, nobis quoque illas veterum pariter no-

strasque delicias subirent. Sufficit nihilominus, Caroli Ma-  
 ximate nonnulla exiisse veterum carmina, quod Egi-  
 nardus in vita Caroli hinc verbis testatur: *in Germania & an-  
 tiquissima carmina, quibus veterum utrumque astra est bello  
 cetera, quae sunt in Carolo de Monacoque in quibus*  
*Quae Aventinibus habuere in affente apud Merhofium*  
*pluribus videndi possunt. Aventinorum enim, si quis civis  
 auctoritas & sollicitudinem potest, iudicis sparsim, quae  
 huc faciunt, reliquit. In Annalibus Bojorum inter alia,  
 haec habet: *Totumque ius iustitia, et absque religione meti  
 negle reipublice, in eo a seceris regis licentiam, hancque  
 contineri posse videri videtur, iura dedit, leges tollit, carnis  
 tribusque complexus est, quae publice & privatim caperantur.  
 tunc, sine aut obsequio obliteraret, aut ignorans in eos sanet.*  
 Et paulo post: *Nus in huiusmodi carminibus leges, voca-  
 mus, quemadmodum & Graeci (ut est apud Aristotelem Sta-  
 giritam) vocant: etiam tunc leges, quae Moses a Deo immor-  
 tali recepit, in exemplis patriae sermone canimus.* Albe-  
 rtum Cratellum si in testimonium vocare licet, tantum  
 nostra maxime amicum experiemur. Aperta quippe  
 profiteatur, se in componendis historiis antiquorum ser-  
 monibus usum esse. Et quid prohibet, quo minus Her-  
 mianum Conringium res nostrae causae patronum,  
 in sechius, qui suis scriptis, quibus hoc universum illu-  
 strat, suumque nomen aeternitati commendat, non alie-  
 nus est ab illis, quae veteres Germani possedisse & coci-  
 nisse dicuntur, carminibus. Ipsi verba, ni grave est,  
 audiantes; *Ab carminibus certior forte est veritas. Et  
 sane hoc est antiquissimum antiquum genus. Neque  
 minus uno in loco jam olim C. Cornelius Tacitus asse-  
 runt, sed & illi Arminii gesta maioribus tantum idem affir-  
 mas.**

maxime in *Historia Gothorum* *ANSIBILIS* di *Bas. Tor-*  
*randis* *Germanicorum scriptorum antiquissimus*. *Earus*  
*in Longobardica historia*, meminit. & *Paulus Warnefridus*.  
*Ex iisdem* *Wasthali historia* ad *Clodovannum* usque  
*per annos* *1000* *consequasse*, memoratur. *Francus*

*Humboldt* (1) *in* *Præfat. ad Taciti librum de moribus Germanorum*, p. 43.  
 Hæc autem carmina in structura brevioris, an plu-  
 rimum ætatis fuerint, dudum disceptarunt eruditores.  
 Celebratissimus *Tambmannus* ex *Præfatione Goldasti* ad  
*Lectorem commentario in Tyrolis & Wisbekiorum car-*  
*minum præmissa*, non paucarum periodorum, nec brevium  
 fragmentorum, ut nunc fere sunt, fuisse arbitratur; sed apparatu  
 suo vel *Homeri & Virgilio* poematis æmula. Cujusmodi  
 componantur, quæ sola ex media antiquitate circumferun-  
 tur, de *Oenite Longobardico*, de *Woluf-Theodorico*  
*Græco*, de *Gibicho Vangione*, de *Theodorico Veronensi*,  
 de *Hildebrando Gotho*, de *Sigfrido Agrippinensi*, *Cornæo*,  
 & quæ sunt reliqua.

**XII.**  
 Sed enim si tantæ sunt antiquitatis Germanorum  
 carmina, tamque finguntur proluxa, qui fieri potuit, ut  
*Caroli M.* tempora attigerint, quando quidem literas  
 Germanas ignoraverunt? *Pharisi* enim & *Ulphilani*, vel  
*Carolus* inventorum (eo quidem jure, quo nonnulli *A-*  
*lexandrus* auctorem Græcæ, vel *Cæsarem* Latine litera-  
 suræ iudicare possunt) architectantur. His favere videt-  
 ur *Tacitus* noster, qui aperta & ingenue confitetur, litera-  
 rum sacra Germanos ignorasse. (2) Attamen ex propter

(1) in *Præfat. ad Taciti librum de moribus Germanorum*, p. 43.

(2) cap. XII, de *Mor. Germ.*

animam non despondentibus pollicemque promissus illis,  
 qui nostros majores literarum plane rudes arbitrantur:  
 ponis cum Taubmanno atque Goldasto inno laudem  
 nostris asserimus. Secus statuentes Melchior Goldastus  
 cachinno excipiendos censet, affirmans, Germanorum  
 scripta ante hos MCC annos (editi autem Goldasti com-  
 mentarii anno M DC IV) in Germania visa & lecta fuisse.  
 Kriegsmannus in Collectaneis Tacitum invidu-  
 do opere suo Germanorum carminibus usum fuisse con-  
 tendit, quod absque scriptura fieri vix potuit. Taciti  
 autem verba, quibus nituntur adversa sententia patroni,  
 eo non sunt extendenda, quasi omne literarum genus  
 nostris Alemannis denegaverit: sed quando: *literarum*,  
 ait, *secreta viri suamque ignorant*; de literatura secre-  
 tiori, non de literarum notis intelligatur oportet. Et  
 ponamus, ex Germanis, qui stipendia faciebant, mili-  
 tiamque sectabantur, neminem & scribendi & legendi  
 rationem cognitam habuisse: apud sacerdotes tamen Bar-  
 dos & Druidas, tanquam singulare, quod ad plebem non  
 pertineret, diliguisse potuit. Quin imo ipse Julius Cae-  
 sar (1) in castris Germanorum tabulas Graecis literis nota-  
 tas inventas fuisse testatur. Illae vero literae, quas Graecas  
 putabat Caesar, vel Germanicae fuerunt, quippe quae cum  
 Graecis eisdem ferme agnoscent ductus, vel si Graecae fuis-  
 sent, characteres tamen istos ad consignanda monumen-  
 ta à Germanis usurpatos esse, non levis est conjectura.  
 Huic accedunt ex Tacito (m) Graecis literis inscripti tu-  
 muli in confinio Germaniae Rhaetiaeque; *litteris fortasse*,  
 ut habet Lipsius ad h. l. *vix credendum, cum viderentur*  
*vetis*

(1) lib. I. de bello Gallico. (m) de Germ. c. 3.



*usq; & Galli Græca usq; sint literatura Romanis caracte-  
ribus juxta cum imperio ignotis.*

## §. XIII.

Dices: Multis præmiis cuidam ex equitibus Galli-  
cis persuadet Cæsar, (n) uti ad Ciceronem, qui tum in  
magno erat periculo, epistolam Græcis conscriptam lite-  
ris deferret, eo quidem consilio, ne, intercepta epistola,  
Romanorum instituta ab hostibus Gallis cognoscerentur.  
Si igitur Galli & Germani, prout monitum fuit, literis Græ-  
cis usi fuissent, quomodo sub hoc Græcarum literarum ve-  
lamine Cæsar sua consilia tegere potuisset? Ad hæc ver-  
bis Glareani respondemus: *Tempore Cæsaris mihi non vi-  
detur lingua Græca apud Gallos aut Germanos in usu fuisse,  
literis tamen Græcis, quibus Gallicam, non Græcam, scriberent  
linguam, usque usos, quemadmodum nunc magna Europa  
portio Latine ad suam quisque linguam pernotandam uti-  
tur, atque ita intelligenda, que jam diximus, loca. Hic  
vero prorsus existimo, Cæsarem voce LITERIS usum pro  
LINGVA, & Q. Ciceronem, Marci fratrem, Græce scri-  
psisse, non est mirum, cum ea tempestate omnes, qui qui-  
dem alicujus erant existimationis, Græce novisse, satis  
constet.*

## §. XIV.

Et quamvis tandem literas, earumque notitiam,  
plane à nostris exulasse largiamur: memoriæ tamen quasi  
per traducem mandata carmina propagari potuerunt.  
Non enim difficulter affirmatur, veteres suarum reli-  
gionum arcana, quod putarent scriptis profanari, disci-  
pulis suis per colloquia instillasse. Testes ut producamus  
opus esse non videtur; liquidem T. Bornetius in sua Ar-  
chæo-

C

chæo-

(n) lib. V, de bell. Gall.

chæologia ex antiquis scriptoribus id sufficienter probatum dedit. Quippe omnia, si carminibus includebantur, facilius hærebant. Seneca enim (o) *Facilius, ait, singula insidunt circumscripta & carminis modo inclusa. Ideo pueris sententias ediscendas damus; quia complecti eas puerilis animus potest.* Et alio loco: (p) *Quemadmodum spiritus noster clariorem sonum reddit, cum illum tuba per longi canalis angustias tractum patientiore novissime exitu effudit: sic sensus nostros clariores carminis arcta necessitas efficit. Eadem negligentius audiuntur, minusque percipiunt, quamdiu soluta oratione dicuntur; ubi accedere numeri, & egregium sensum adstrinxere certi pedes, eadem sententia velut lacerto excussa torquetur.*

§. XV.

Quando igitur ex antiquorum monumentis aperte satis constat, male hæc à Tacito laudata Germanis denegari carmina: quodnam fuerit eorum argumentum, non immerito quærunt antiquitatis cultores. His ut aperiamus animi sensus, non absurdum censemus, si Germanos non tantum cultum divinum, sed etiam facta heroum, carminibus suis quasi factis & annalibus complexos fuisse, eaque juventuti suæ inculcasse dicamus. Ita enim Elias Schedius: (q) *Erudiebant autem (Bardi) summo studio sibi commissos pueros, ut versus illos ediscerent, in quibus eorum doctrina quoad ceremonias & sententias de veritate sua religionis continebatur.* Hæc quippe aliarum quoque gentium fuit consuetudo, ut sacra versibus involverent, ediscendaque juventuti darent; quod ex Clemente Alexandrino patet. (r) *Cretenses jusserunt filios*

CUM

(o) Epist. XXXIII. (p) Ep. CVIII. (q) de Diis Germanorum Syngt. II. c. 19. p. 306. sq. (r) lib. I Stromat. p. m. 308.

cum quodam concentu & melodia leges perdiscere, ut ex musica voluptatem caperent, easque facilius memoria complecterentur, ut ne, si quid contra leges admisissent, per ignorantiam possent defendere. (r) Deinde discendos proponebant hymnos in honorem Deorum factos: tandem fortium virorum encomia. Moses non minus omnes res gestas & precepta, quibus summum Nomen inter Israelitas sese manifestavit, catmine conscripsit, utque omnia perpetuæ Judæorum memoria inhaerent, ediscenda curavit. De Turdulis gente Hispanica idem tradidit Strabo, (s) atque Mazacenorum in Cappadocia legum interpretem vocat *νομῶδες*, i. e. legum decantatorem. Plinius (u) vices centena millia versuum à Zoroastro condita scribit, quos indicibus explanavit Hermippus, qui de Deorum sacris, cultu & ritibus egerunt: (x) item *ἱερουργίας*, quos Suidas quatuor fuisse refert. Igitur si reliquæ etiam gentes leges suas, quæque ad cultum numinis pertinebant, in carmina redegerunt; quin Germani nostri idem factitaverint, nulli dubitamus.

§. XVI.

De laudibus herorum res certa fati putatur, quandoquidem Taciti testimonia de Arminio summis in cœlum encomiis sublato non desunt. Si lubet audire Diodorum Siculum (y) major lux dictis nostris accedet. Ille enim: *sunt, inquit, apud hos carminum melicorum poeta, quos Bardos nominant. Hi ad instrumenta lyris non dissimilia aliorum laudes, aliorum vituperia decantant.* Cui addo Am-

C. 2

(r) vid. *Ælian.* lib. I. var. *hissor.* c. XXXIX. (s) lib. III. & XXI: (u) lib. XXX c. I. (x) vid. *Morhof.* *Polyhist.* lib. I. pag. 90. (y) lib. V. *Bibl.*

uniatum Marcellinum, (z) qui, Bardos virorum fortium, res egregie gestas heroicis versibus inclusisse, & suavi cantu ad lyram cecinisse, affirmat. His ex recentioribus adjungimus Martinum Crusium, (a) qui nobis suum adjicit calculum his verbis : *Hic & ipse Inge von à posteris in numerum Deorum relatus fuit, tanquam DEI nuncius sive Mercurius, dator sapientia & eloquentia, ac carminibus (Rhythmis) celebrari solitus est ad posteritatem, cum aliud memoria genus in Germania non esset.* Atque ut eo firmius statuatur, quod semel animo de hac causa concipiebat, paulo post virorum fortium egregia facta carminibus (seu rhythmis teutonicis, sicut adhuc hodie vulgo fieri solet) decantata fuisse scribit.

#### §. XVII.

Neque hæc apud Germanos tantum erat consuetudo ; verum etiam Romanis eadem mens fuit, ut carminibus heroes suos ab interitu vindicarent. Nihil enim aliud querunt libri Æneidos Virgilio, quam qua ratione Augustum remque publicam laudibus exornent : Nihil aliud molitur Lucanus in libris de pugna Pharsalica, nisi ut res à Cæsare præclare gestas, victoriamque à Pompejo reportatam orbi explicaret ; ut Claudianum, Valerium Flacum & alios taceam. Jacobus item Zieglerus in Schondixæ descriptione cap. de Islandia, quæ Latinis Tyle dicitur, è Saxone Grammatico ejus insulæ habitatores majorum res memorabiles, sui que temporis conscribere cantibus & rhythmis perhibet.

#### §. XVIII.

Cur igitur deterioris prudentiæ atque acuminis credamus Germanos, nihil est, quod nos impellat : potissimum

(z) lib. V. (a) Annal. Suevicis part. I. lib. I. p. 4.

quando testimonia rerum sufficiunt, Johannes Trithemius, Abbas Spanheimensis, nobis in hac re imprimis favet, dum: *Mos, inquit, erat majoribus nostris, Franci atque Germani, ut Heroum dicta vel facta memoratu digna per sacerdotes templorum patriis commendarentur carminibus: in quibus discendis, memorandis & decantandis juvenum excitarentur ingruia. Qua consuetudo multis duravit annis, nec hodie deficit. Cujus rei testes sunt sacri psalmes de incarnatione, morte & resurrectione Jesu Christi; similiter profana aliquot cantumcule, de veterum heroum raramque gestis.* Cui consonant illa Lucani, quæ de laudibus fortium animarum à Bardis decantatarum lib. I. pugna Pharsalica circumfert.

#### §. XIX.

Cum verò Germanorum carmina circa cultum divinum heroumque laudes occupata fuisse dicimus, cætera, quæ cantari solent, excludenda non putamus. Celeberrimus enim Taubmannus l. c. præcepta politica, ethica & œconomica rhythmica fere poesi inculcata fuisse censet.

#### §. XX.

Enimvero posteaquam nunc ordo exigit, ut de modo carminum nostrorum dicamus, non parva nobis lis & controversia intenditur. Novimus, quæ sit hodie Germanicæ poesis facies; quod nempe nihil fere non rhythmis compactum afferatur. Eruditissimorum autem plurimi plaustra scommatum in nos propterea devolvunt, nostramque linguam barbaram nulliusque pretii arbitrantur. Rolandus Maresius, (b) qui inter literatos non parum laudis adeptus est; si quando in epistolis philo-

(b) Epist. IV. lib. II.

f. gicis de omnibus in poesi argumentis agit, et quillos, quor  
 um opera circa versus antistropheos, *Auger. Hypoc.* Echori  
 cos, *αια γαυαυα πω μω* versatur, reprehendit, rhythmis ad  
 modum gravem dicit sententiam. *Saculo armum, inquit,*  
*barbaro, postquam vera poesis prorsus erat abolita, in hisce*  
*illius imitamentis, seu potius debonestamentis, multum est*  
*desudatum. Inde versus condit imperunt, quas Leoninos ad-*  
*xere, similiter desinentes, aut in medio & sine in eandem*  
*cadentes sonum. Unde illa ratio, qua apud omnes Euro-*  
*pa gentes hodie viget, originem duxit. Quibus verbis*  
 rhythmos non inter detora linguarum numerat, sed inter  
 navos & labem, utpotè qui non ab eruditis, sed à lingua-  
 rum depravatoribus suam fortiantur originem. Sixtus  
 etiam Senensis (c) eadem videtur delectari sententia :  
*Non me latet, inquit, & scholasticorum poetem ab omni-*  
*bis eruditis contemni & prorsus explodi, tanquam ineptam,*  
*superstitiosam & risu dignam : tamen ne deesse videar*  
*suscepti operis instigato, in quo omnes expositionum va-*  
*rietates, qualescumque illa sunt, inditans propasui, non gra-*  
*vabor & hanc quoque partem brevibus explicare, cujus hac*  
*fuit occasio. Cum per totam Europam mos jam inolevisset,*  
*ut rhythmi, i. e. INCONDITI VERSVS, in eadem fi-*  
*nalis syllaba consonantiam desinentes vulgari uniuersus-*  
*que provincia idiomate compositi, cantarentur : cepit vul-*  
*garium rhythmorum poesis tanto in pretio haberi, ut nul-*  
*lum poema vel plausu, vel laude aliqua videretur dignum*  
*quod esset rhythmica harmonia destitutum. Ex scriptori-*  
 bus Franciæ non nemo rhythmum ex oratorum clausulis  
 in orationem ligatam defluxisse contendit, cum rhythmus  
 nihil aliud sint, quam similiter desinentes : e. g. quando

Cice-

Cicero pro Milone dicit, legem naturæ non esse datam, sed natam; & alibi: cum præsto est consilium, non potest deesse auxilium. Philologorum facile princeps Caspar Barthius Anacreontem primum rhythmorum cultorem ostendit.

## §. XXI.

Equidem antiquitatem *ὁμοιοτέλευτον* rejicere non possumus, quæ ex Ennii Anapæstis, citante Vossio (d) haud difficulter adstrui potest; ubi inter alia hæc habet:

Hæc omni vidi inflammari,  
Priamo vi vitam evitari,  
Jovis aram sanguine turpari.

Nondum tamen, quod volunt, obtinent, qui nos ad Leoninos versus transcribunt. *ὁμοιοτέλευτον* in poesi Germanorum nemo unquam negabit: ex Leoninis autem nostra carmina originem habuisse, erectiora ingenia dudum differuntur.

## §. XXII.

Qui inter sermonis vitia rhythmos numerant, & quod Trajanus Boccalini in Relationibus ex Parnasso (e) de Italorum Poëtis scribit, nostros adeo turpiter similiter desinentibus in hære jactant, ut colligatis q̄s. manibus hinc inde, ne fortius feriant, impediuntur; carmina, quorum mentionem facit Tacitus, sine rhythmis fuisse censent. Unde forsitan factum, ut plures, quod vel despicerent rhythmos, vel quod de antiquitate eorum dubitarent, carmina inter Germanos metro quidem adstricta, sine rhythmo tamen scripserint, Anglique rhythmos, ut pestes carminum averterentur. Neque desunt hodie, qui carmina Germanica sine rhythmis contextunt, innixi consuetu-

*ſuetudini veterum Latinorum ; ſiquidem id paſſim patet illis , qui ſcripta noſtrorum curatius noverunt. Quam carminum rationem , qua nonnunquam gaudet Polyhiſtor & Juriconſultus quidam celeberrimus , ut probet , Gallici ſcriptoris Scævolaë Sammarthani de Nicolao Rapino ſententiam allegat: Neque vero , Rapinus , id Latine ſolam , ſed Gallice pari facilitate præſtat ; ſic tamen , ut omiſſis interdum vulgaribus rhythmis & homœoteleuticis verſus quoque ſoleres ſuos ad Græcorum & Latinorum numeros componere , certisque pedum legibus , & ſervata cujuſque menſura temporere , novo quidem aſu & inſolenti , ſed non utique temerario. Licet enim hoc ſcribendi genus , tam à vulgo , tum à doctis etiam viris explodi fere ſoleat ac rejici , non tamen eorum conatus , qui patria lingua dignitatem illuſtrare , quacunq; ratione poſſunt , emittuntur ; continuo damnandos eſſe duxerim. In quibus tamen orationis numerus & eloquentia poetica dignitas rhythmorum defectum compenſare videtur.*

§. XXIII.

Minime tamen gentium firmiter exinde concludi poterit, noſtra carmina, quæ priſca vidit ætas, æquiva fuiſſe; multo minus rhythmos ab indoctis monachis, aut verſibus Leoninis in noſtrum ſermoneſ irrepiſſe. Decimum enim ſeculum, quod inprimis barbarum dici meretur, ejusmodi in Latino ſermone nævos invenit, verſusque Leonini rhythmis noſtris multo ſunt poſteriores. Carolus enim du Fresne ad tempora Ludovici ſeptimi illos verſus refert, & ſic forte Leoninos, nuncupatos putat, quod inventi fuerint à quodam Leone poeta, qui circa tempora Ludovici ſeptimi, vel Philippi Auguſti regis



régis Franciæ vixit, cujus meminit *Ægidius Parisiensis in Carolino Lib. V.*

Nec minus in sacris melico sermone poetam

Ludentem historiis, & quem intepuisse dolemus.

Ad Anacreontem non est, quod recurramus, quippe cum ille sua à Celtis nostris habuisse nonnullis scribatur. Qui rhythmos ab Ebræis & Arabibus accersunt, dignum suæ patellæ operculum apud Morhorfium inuenient.

#### §. XXIV.

Schottelius rhythmos in Germanorum poesi omnino necessarios esse contendit: neque ab se. Omnis certe gratia nostræ poeseos, ubi rhythmos amoveres, periret. Multa enim suavitas sermonis, multum orationis acumen ex rhythmo pendet, ita ut, hic si abesset, nemo non inter Germanos poeta ageret. Unde non immerito nostris majoribus illas carminum delicias largimur. Enimvero si rhythmica carmina non fuissent, cur Beatus Rhenanus, quem Harsdörfferus allegat, Cæsarem Maximilianum magnificis præmiis præter diplomata & rhythmica carmina, coemisse scribit? Cur Olaus Magnus, cur Olaus Wormius singulare præter concinnitatis arcanum rhythmos arbitrantur? Cur Germanorum monumenta, quæ quidem ad nos per temporum acerbitatem & turbas pervenire potuerunt, sæpe singula rhythmico sermone eminent. Quæ sane singula rhythmos Germanorum statim cum prima carminum origine coepisse confirmant, ita ut Germania suorum rhythmorum mater dici mereatur; siquidem nusquam rhythmus æque necessarius videtur, quam in illa, quæ Germani gloriantur, poesi. Galli Italique suos rhythmos à Germanis acceperint, an invenerint ipsi, non disce-

ptabimus. Fieri enim potest, ut viri totis regionibus, atque, ut ita dicam, toto coelo à se invicem distantes, ad eadem inventa quodam impetu rapiantur; neuter tamen neutri aliquid suffuretur; id quod Morhofii Polyhistor sufficienter testatur, quando varia inventa diversorum auctorum producit. (f)

§. XXV.

Tandem majores nostri non tam studiosi fuere mensuræ syllabarum, quam rhythmorum, ut vel exinde appareat, rhythmos cum nostra poesi sua incunabula habuisse. Certo igitur nobis est persuasum, nostros majores ne minimum quidem aut à Gallis, aut Italis, multo minus à Latinis hos in negotio accepisse. Si antiqua illa nostrorum carmina rhythmicè contexta non fuissent, qui fieri potuit, ut statim post excessum Caroli Magni, imperante Ludovico Pio rhythmorum curam poëtae nostrates habuissent. Non dicam hoc loco de Otfridi Evangelii, quæ locum in secutura, si Deus voluerit, disputatione sibi postulant, rhythmicè conscriptis: Tantum ex Andrea du Chesne, qui alias Quercetanus, & Duchesnius appellatur, (g) in præsentia ostendemus, Ludovicum Caroli Magni filium, S. Scripturæ codicem in lingua Theodisca, uti vocat, carminice & per rhythmos explicari jussisse. Ille autem Tom. II. p. 326. Commentarii de Scriptoribus Francicæ historiæ hæc habet: Cum plurimas Reipublicæ utilitates HLUDOVICUS piissimus Augustus summo atque præclaro ingenio prudenter statuere atque ordinare contendat: maxime tamen quod ad sacrosanctam religionem æternamque animarum salubritatem attinet, studiosus & de-

UIT. VOTUS

(f) Polyhistor. p. 234. (g) vid. Caroli du Fresne in Glossar. Præfat. p. m. 15. & Morhof. Polyhist. p. 264.

votus esse comprobatur. Hoc quotidie sollicitè tractans,  
 ut populum sibi à Deo subjectum sapienter instruendo ad  
 potiora atque excellentiora semper accendat, & nociva  
 quæquæ ac superstitiosa comprimendo compescat. In  
 talibus delectamentis pascitur. Verum sicut in aliis in-  
 numerabilibus infirmioribusque rebus ejus comprobari  
 potest affectus, ita quoque in hoc magno opusculo sua  
 non mediocriter commendatur benevolentia. Nam  
 cum divinorum librorum solummodo literati atque eru-  
 diti prius notitiam haberent, ejus studio atque imperiij  
 tempore, sed DEI omnipotentia atque inchoantia mira-  
 biliter actum est nuper, ut cunctus populus suæ ditionis  
 subditus Theudisca lingua loquens ejusdem divinæ lectio-  
 nis nihilominus notionem acceperit. Præcepit namque  
 cuidam de gente Saxonum, qui apud suos non ignobi-  
 lis vates habebatur, ut Vetus & Novum Testamentum  
 in Germanicam linguam poetice transferre studeret:  
 quatenus non solum literatis, verum etiam illiteratis di-  
 vinorum præceptorum lectio penderetur. Qui jussis im-  
 perialibus libenter obtemperans, nimirum eo facilius, quo  
 desuper admonitus est prius, ad tam difficile, tamque arduum  
 se statim contulit opus: potius tamen confidens de adju-  
 torio obtemperantiæ, quam de suæ ingenio parvitatibus.  
 Igitur à mundi creatione initium capiens juxta historię  
 veritatem quæque excellentiora summam decerpens &  
 interdum quædam ubi commodum duxit mystico sensu  
 depingens, ad finem totius V. & N. Testamenti interpre-  
 tando more poetico satis facili eloquentia perduxit. Quod  
 opus tam lucide, tamque eleganter juxta idioma illius lin-  
 guæ composuit, ut audientibus & intelligentibus non mini-  
 mam sui decoris dulcedinem præstet. Quæ singula ex præ-  
 -fatio-

fatione vetusti alicujus codicis excerptis laudatus Auctor.

## §. XXVI.

Præterea Goldastus etiam à partibus nostris stabit, quando in dedicatione Paræneseos Reg. Scot. poetarum nostratiū causam sequentibus agit: *Vidimus nonnulla carmina, quæ cum Evandrinis, ut sic dicam, atque Saliaribus in genere suo queant contendere.* Hæc si rhythmica non fuissent, an putatis, tantum tamque clarum in hac literatura virum silentio rem prætermittere, orbemque eruditum in hoc negotio inter credendi, negandique consilia dubium relinquere potuisse? Putamus ergo hæc nostra carmina sine rhythmis non fuisse, finemque huic nostræ primæ de Carminibus Germanorum veterum imponimus, propediem de Poetis Germanorum, *Bar-*  
*dis* nimirum aliisque, dicturi.

S. D. G.

## COROLLARIA.

**E**x falsis aliquid sequitur.  
*Demonstratio ex falsis esse nequit.*  
 Non omnis substantia per se subsistit,  
*Sententia, quam Thaleti attribuunt; ex aqua fieri omnia;*  
*firmitate stare non videtur.*  
*Judicia astrologica sapius fallunt.*  
*Mendacium qui dicit, non statim mentiri dicendus est.*  
*Quædam Græcorum futura, quæ augmento carent, ab Atticis id mutuantur.*  
*Qui sex Casus Græcorum fingunt, entia præter necessitatem*  
*multiplicant.*  
*Barbarorum philosophia Græcam accessit.*